

XXXII. dictatum in immisericordes his verbis: *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum; quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto.* Quidam volunt excludi eos ab ingressu templi, alii a municio Judæorum; utrumque gravis pœna, et simul ignominia erat. Ex quo discat Christianus se indignum fieri ingressu ecclesiæ, si pauperes ante eam jacentes, cum potest, non juvat, pane saltem et aqua.

V. Interrogavit: *Si licet sabbato curare?* Clarum erat curam ægri esse contra legem sabbati: ne tamen Judæis scandalum qualicumque modo præberet, voluit eorum saltem tacitum consensum prius requirere: docens hac cautela ne nimis faciles simus in declarando tertio decalogi præcepto ex proprio iudicio, et spernendis etiam levibus ejus transgressionibus, si scandalum præsertim inde oriri queat. Atque hoc, ni fallor, est quod Isa. LVIII. dixit Deus: *Si averteris a sabbato pedem tuum, (hoc est, longum iter non feceris, ultra mille passus scilicet) et revocaveris sabbatum delicatum, etc. cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Cibi delicati magna diligentia coquendi sunt, quia parvos etiam errores coquorum ostendunt, unde et vitiantur. Hujusmodi cibus est caro ferina, qua delectabatur Isaac; et quia talem cibum, ferinæ saltem simillimum (ex duobus scilicet hædis partes delicatioribus) et ad gustum ejus paratum obtulit ei Jacob, impetravit ab eo benedictionem de rore cœli et pinguedine terræ, Gen. XXVII. Delicatus dies e septem Deo est segregatus, in quo ipse suas delicias quærit inter homines: delicate igitur et ad gustum ejus celebrandus est, ut cœlestibus simul et terrenis bonis benedicere eos dignetur. Docent hanc delicatam sabbati observationem vel ipsa bruta animalia, uti scribit et testatur curiosus Palæstinæ investigator Adricomius, in descript. terræ sanctæ, voce *Engaddi*. Fontem esse in Ægypto ait, in quo Deipara puerum Jesum laverit, cum in Ægyptum fugisset, ideo fontem Jesu appellatum: ex eo irrigari hortum balsami; et quia ejus aqua ad hoc insufficiens est, ex alio puteo in eundem fontem aqua deducitur, beneficio rotæ a quatuor bobus. « Mirum dictu, inquit, verumtamen a meridie sabbati usque ad auroram diei lunæ, boves nullo verberare impelli possunt, ut in protrahenda aqua laborent: quod est fidei nostræ testimonium celebre. » Mater S. Petri Cœlestini Pp. « Ad Dei sanctos devotissima, (ait Petrus de Aliaco card. Cameracensis, in vita S. Petri Cœlestini, apud Surium 19. maii) eorum festivitates magno cum honore colebat; in festo tamen de-

collationis B. Joannis Baptistæ, quia sequenti die panem facere opus erat, sero illo fermentum disponere volens, cœpit cum timore aquam in farinam mittere. Et ecce tota farinæ massa subito visa est vermibus scatere. Tunc illa tremens et in terram cadens, a Deo veniam precatur, et statim farina in statum pristinum revertitur. »

VI. In convivio inspersit pios sermones de humiliore loco eligendo, de invitandis pauperibus, de convivio cœlesti, proposita parabola cœnæ magnæ. Docet ergo dies festos transigere honesta conversatione ac colloquiis piis, etiam sub mensa: hoc enim est sabbatum sanctificare, sacra in eo tractare, concionem ruminare, libros spirituales legere, pias historias recensere, sanctorum gesta enarrare, templa visitare, vesperas adire, et similia. In hujus rei commotionem præcepit Deus, Numerorum XXVIII. ut in sabbato, præter quotidianum et juge unius agni sacrificium, mane immolarentur alii duo, adeoque tres agni, quo sciremus Deum in feriis diebus triplo magis laudandum ac colendum, quam in aliis: sanctis nimirum cogitationibus, deinde piis colloquiis, denique bonis operibus. Sacri enim dies sacris actibus celebrandi: nec minus delinquere videntur, qui vanis et illicitis operibus eos violant, quam si aleas aut chartas lusorias ad altare offerrent; neque enim minus sacri sunt dies Deo dicati, quam templa aut altaria.

Quid vero de his S. Chrysostomus? Nonnulli, ait, ser. VIII. de resurrectione, ex fratrum nostrorum numero festivos se esse dubitant, nisi gulæ, nisi ventri, nisi luxuriæ, satisfecerint. Dicendum nobis cum libertate est. Non est hoc, fratres, festivitatem colere Dei, sed coquinare. Vultis ergo scire quid sit hominem festivum esse? Imitamini in aliquo illos, qui primi hac festivitate usi sunt, dico sanctos Dei: quorum semper fuerunt, ut legimus, dies sobrii, noctes pudicæ, sanctæ vigiliæ, sopor castus, actus probi, conversatio honesta, vita sibi ex omni parte consentiens. Neque illos sequamur, quorum, ut ait apostolus, finis est interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione. » Isti enim cum sinum suum implere bonis operibus in sacris diebus deberent, implent sinum diaboli malis operibus, non secus ac Turcicus ille sacrificulus, qui in convivio, dum suam longam manicam variis implere cupediis ex mensa subreptis laboravit, ad extremum deprehendit se non suam, sed proxime sibi assidentis manicam incaute apprehendisse atque implexisse, in legatione Busbequii. Non ita nos, auditores, non repleamus saccum dæmonis nostris transgres-

sionibus, unde ipse depromat accusationum tela, quibus nos configat atque confundat, nec pascamus ipsius stomachum fame et inedia nostrarum animarum. Observat ille nos, et diligenter notat quidquid contra decorum agimus in festis, ut nos actis nostris jugulet. Dirigamus oculos nostros, non ad solum accusatorem, sed ad spectatores quoque angelos sanctos, qui ad hoc observant nos, ut pios festorum cultores adjuvent in terris, et celebrent in cœlis.

CONCIO II.

QUID FACIENDUM SIT DIEBUS DOMINICIS.

I. Abstinentium a peccatis, et ab illis resurgendum. — II. Supersedendum negotiis et curis sæcularibus. — III. Danda liberalius elemosyna. — IV. Audiendum Dei verbum. — V. Sacra missa audienda.

THEMA.

Si licet sabbato curare? Luc. XIV.

Sæpius Christus in sabbatis curare morbos consuevit, quodque notandum, ultroneus et a nemine rogatus. Ita hic Lucæ XIV. hydropticum; ita Lucæ XIII. mulierem incurvam; ita Lucæ VI. hominem habentem manum aridam; rursum Joannis IX. cæcum natum: et Joannis V. languidum ad piscinam. Quamobrem Judæi ipsum persequerantur, et ad necem quærebant, velut legis transgressorem; cum tamen miracula non nisi opera pietatis, et Dei potius quam hominis essent. Quare Christus nihil eos moratus, sabbatum curatione morborum cohonestare voluit. Sed cur? Ut indicaret in sabbatis curandas esse animas: ob curam enim animarum, curam adhibuit corporum. Et: *Quæ faciebat corporaliter etiam spiritualiter volebat intelligi*, ait Augustinus, serm. XLIV. de verbis Domini. Voluit proinde docere dominicam debere propriam esse diem curæ, non corporum, sed animarum. Videndum ergo quomodo festivis diebus animi curandi.

Quinque homines reperio in evangelio curatos a Christo in sabbato; qui sane non obscure indicant quinque curas animæ adhibendas diebus dominicis, seu festivis.

I. In hodierno evangelio hydropticum curavit. Quem vero is designat nisi peccatorem? De eo namque Job XV. dicitur: *Abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem*, hoc est, peccata tam libere perpetrat, ac si nulla prorsus pœna luenda essent, sicut aqua nullo pretio bibitur. Sed corrigenda est hæc bibacitas saltem in sabbato, cessandum a peccatis, quia scri-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

ptum est: *Observa diem sabbati, ut sanctifices eum*, Deuteronomii V. sanctis scilicet operibus colas, nec peccatis inquines. Hinc vel ipsi improbi Judæi Christum in die festo capere non sunt ausi: *Non in die festo*, aiebant. Est enim dies ille dominicus appellatus, quia ejus servitio deputatus. Quare si quis in peccatum lapsus est, curet sacro illo die iterum resurgere per penitentiam, et si non per confessionem, saltem per contritionem. Hoc enim est, quod innuit parabola Christi de asino in puteum lapso: per quem intelligit ad litteram hydropticum, mystice peccatorem. Quid enim imprudens peccator, nisi bos et asinus in puteum inferni lapsus? Dies dominica dies resurrectionis est, in qua nec Christus manere in sepulcro voluit, sed summo mane resurgere. Unde et nos in ejus memoriam stamus eo die ad orationem, quo et olim Christiani, velut Deo reconciliati, et stabant et communicabant. Ad hæc sabbatum institutum est propter quietem tam servorum quam jumentorum, asini et bovis, Deut. V. At quomodo asinus quiescet in puteo? Quomodo anima tua in statu peccati lethiferi? Erue igitur illam, ut in die quietis inveniat quietem. Si enim S. Hieronymus, ad v. Vigilant. ait: « Quando iratus fuero, et aliquid mali in animo meo cogitavero, et me nocturnum phantasma deluserit, basilicas martyrum intrare non audeo: ita totus et corpore et animo contremisco; » tu quomodo audebis cum gravi et certo peccato ingredi domum Dei?

II. Lucæ XIII. mulierem inclinatam, quæ omnino sursum aspicere non poterat, erexit die sabbati. Quis talis? Respondet S. Gregorius, hom. XXXI. in evang. *Peccator dum desideria inferiora sequitur, a mentis suæ rectitudine curvatus*, quasi dicat: Homo curis et negotiis sæcularibus gravatus, qui eo quasi pondere incurvatus, tota septimana terram dumtaxat aspicit, et terrena quærit, pro victu, vestitu, familia, conjugio, liberis sollicitus. Hic ergo in sabbato nostro erigere se debet, et cœlum potius ac divina, quam terram et sæcularia contemplari. Idem typice mandatum, Exod. XVI. cum Judæis prohibuit Deus in sabbato manna colligere (quod inclinato corpore fieri utique debuit) nec permisit foras exire: sed manere unumquemque apud semetipsum jussit. Sic fecisse primos Christianos patet ex antiquorum pp. decretis. Primo, S. Gregorius Magnus, in epist. ad quemdam (apud Joan. diac. l. IV. vitæ, cap. LI.) ait: « Dominico die a laboribus cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem resur-

rectionis dominicæ precibus expiatur. Nota id omnimodo. Secundo, S. Innocentius Pp. ep. I. ad Decentium, cap. VII. ait: « Nisi tantum hymnis et psalmis, et cantibus spiritualibus dies illa transigatur. » Relebant ergo Dei beneficia in dominica die præsertim percepta, quæ sunt maxima et plurima. Tertio, S. Chrysostomus, hom. V. in Matth. ait: *Legem hanc nobis statuamus immobilem, nec nobis tantum, sed conjugibus etiam liberisque nostris, ut unum hunc totius hebdomadis diem, quo ad audiendum concurritur, totum in eorum, quæ dicuntur, meditatione ponamus.* Quarto, S. Hieronymus cum sociis Romæ solebat diebus dominicis basilicas martyrum visitare, ut ipse scribit, lib. XII. in Ezech. cap. XL. unde colligitur id aliis quoque tunc consuetum fuisse. Denique, si quid maxime necessarium animæ erigendæ ad Deum et curandæ, est examen vitæ per hebdomadem actæ, et status animæ, num qua parte lacerata sit, quorsum cursum dirigat, quid elapsis diebus lucris vel jacturæ fecerit, etc. Sane in Palatinatu inferiori Calvinistarum opificum famulæ, cernentes per Calvini spiritum festa abrogata, quibus olim proprias vestes resarcire poterant, adeoque se jam dominis suis tota septimana cogi laborare, impetrarunt a magistratu diem vacationis in hebdomade, Mercurii videlicet, in quo possent resarcire proprias vestes, ut refert Tympius, in mensa theologophil. Si hoc isti pro suis lacerantibus, cur tu non in die saltem dominico resarcis damna et vitia animæ tuæ? Totis enim reliquis sex diebus corpori fere soli attendis: animæ tuæ nihil curæ fere tribuis.

III. Lucæ VI. curavit hominem qui habebat manum aridam, dicens: *Extende manum tuam.* Quis vero hic? Audiamus S. Chrysostomum, hom. XV. super epist. ad Hebræos: *Manus non faciens eleemosynam, arida est.* Extendenda est hæc manus, maxime in sabbatis seu dominicis diebus. Id enim apostolorum tempore consuetum fuit, ut patet ex I. Cor. XVI. ubi petit apostolus, ut prima sabbati, id est, dominico die unusquisque seponat aliquid pro collecta in pauperes Christianos faciendâ. Ubi notandum illud: *Unusquisque vestrum apud se seponat, omnes includere, neminem exceipere.* Qui mos cum annos trecentos et amplius exolevisset, S. Chrysostomus pro eo rursus instaurando pulchram orationem habuit de eleemosynis et collationibus. Merito vero apostolus id iussit fieri die dominico, ut ibi S. Chrysostomus expendit, quia in eo et nos pauperes plurima a Deo beneficia accepimus. In eo creati, et per resurrectionem Christi resuscitati et immortales facti sumus,

in eo Spiritum sanctum accepimus, etc. Cujus rei typus etiam fuerunt panes propositionis per singula sabbata proponi in mensa ante Sanctum sanctorum, et instaurari soliti, Levit. XXIV. quo indicaretur nos per eleemosynam intrare in domum Dei debere, quia per illam etiam ad cælum itur. Hinc pauperes, maxime in dominicis et festis diebus, fores templi obsident, quasi Christi satellites, ut illorum beneficio ad Christum quæramus aditum. D. Hieronymus ex evangelio Nazarenorum ait hominem illum, cujus manus arida fuit, fuisse cæmentarium, qui proinde pro victu sibi parando maxime manu illa opus haberet. Et qua re magis indigent divites, quam manu liberali et in pauperes extensa, qua sibi gratiam parent et ædificant in cælo tabernaculum? Sane D. Gregorius, I. IV. dial. c. XXX. scribit de S. Deusdedit, qui sutoria arte se sustentabat, et quidquid lucris victui supererat, die sabbati ad S. Petri templum portabat, pauperibus distribuens quod in spiritu quidam viderit splendidum ei in cælo ædificari palatium, operarios vero die sabbati tantum in eo ædificio laborare; quod utique notabat ejus eleemosynas, quas die sabbati consueverat erogare, esse lateres et cæmentum, pauperes vero cæmentarios, qui in cælo ipsi struerent æternum tabernaculum.

IV. Joannis IX. cæcum natum curavit, ponendo lutum super oculos ejus, et mittendo eum ad natatoriam Siloe. Quis hic cæcus? Respondet ad eum locum S. Augustinus, trac. XLIV. in Joan. *Genus humanum est ille cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum.* Homo igitur quisvis natus in ignorantia rerum omnium, cæcus iste est. Hic in sabbatis illuminari debet per verbi Dei frequentem auditum, quem designat lutum, factum e sputo et terra: sputum Dei verbum, terra prædicatorem notat. Cœpit mos concionandi die dominico ab apostolis, Actor. XX. ubi una, hoc est, prima sabbati, seu dominica die, Paulus disputabat et concionabatur ante fractionem panis: item Actor. XIII. *Voce prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur: idem præcipit S. Clemens in constit. apost. c. LIX. dicens: Quid enim apud Dominum excusare poterit, qui eo die (dominico) ad audiendum Dei verbum salutare non convenit?* Idipsum ante duodecim sæcula fuisse more receptum, testatur S. Justinus, apol. II. ad Ant. auctor antiquissimus. S. Augustinus, I. confess. cap. III. narrat se omnibus dominicis diebus convenisse ad Sanctum Ambrosium concionantem. Idem ostendunt ipsius et aliorum sermones habiti in dominicis et festis. Porro non facit Ecclesia præ-

ceptum de audienda in festis diebus concione, quia non omnes æque indigent: nihilominus tamen ipsa Ecclesiæ consuetudo, conciones plerisque in locis semper habentis, vim quamdam legis habere videtur. Certe multo tempore negligendam non esse, docet Christus, qui non vult agnoscere eos, qui verbum Dei non audiunt.

V. Joannis V. languentem sanavit ad piscinam, quem iussit surgere, tollere lectum suum et ambulare. Quis hic, nisi homo quisvis ad bene operandum debilis? Piscina vero *probatica*, seu *ovilis*, s. missam apte designat, in quam angelus magni consilii Christus descendit movens aquam, id est, passionem suam in memoriam nobis reficiens, et quodammodo renovans. Habet ea quoque rubentes ex hostia Christi aquas, uti habuit piscina ex immolatorum pecorum sanguine. Hic ergo roboratur languidus ac sanatur: missa enim homini dat robur et benedictionem ad cæteras actiones peragendas, præsertim si in ea spiritualiter communicet, per meditationem illius mysterii. Si olim aspectus serpentis in hastili propositi sanare potuit Hebræos a serpentibus admorsos; cur non et sacrificium missæ, Christum pro nobis crucifixum et immolatum continens ac representans, sanare queat languores nostros? Sane antiqui Christiani singulis saltem dominicis diebus reipsa de sacrificio communicabant. Postea præceptum ut saltem ei adessent et spiritualiter communicarent per fidem ac desiderium atque humilitatem, qua se, velut catelli, infra mensam ponerent, et indignos pane filiorum judicarent, sicut Chananaea et centurio, qui suam domum indignam reputabat, in qua Christus diventeret: et sic Magdalena, quæ in domo Pharisæi non convivio assedit, sed ad pedes Domini se posuit. Sed quid de antiquis dico? Recentes et neophytos in Paraguarâ, Indiæ occidentalis provincia, contemur. Scribit inde Nicolaus Duran. de anno 1626. et 1627. in hunc modum: « Puerulus nondum decimum ætatis annum attingens, dominico die a sacro missæ officio abfuerat. Quam noxam toti suæ ætati inultam æquales minime ferentes, puerile suum in foro tribunal statuunt; quo ubi omnes confluerent, ibi reum in medio sistunt, atque eum pro se quisque conspulant, variasque in eum calumnias conjiciunt, dæmonis eum filium appellantes: denique verberibus ac pugnis non leviter oneratum dimittunt: rogantibusque adultis, quæ tanta esset in foro causa tumultus, alii puerum inferno oriundum, alii dæmonis mancipium se ex cœtu suo proscriptis respondent: quippe qui

vero die (ita dominicam appellant) missam fuisset ausus omittere. » Atque istud illi, qui non ita pridem fuerunt anthropophagi, feri et barbari. Quis jam non exclamat et dicat, quod ad Ezechielem dixit olim Deus, cap. XLIII. *Ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis.* Videte Ecclesiam antiquam, quo fervore frequentarint rem divinam; videte et recentem in orbe novo, qua in æstimatione eam habeant, quamque ejus neglectum præstant in festis diebus. Porro tanta est hujus mysterii utilitas ac necessitas, ut Ecclesia præceperit singulis etiam laicis audire missam festis diebus, jam a Concilio Agathensi, cap. XLVII. celebrato anno 506.

Quærent multi præstetne concionem audire an missam? Quibus respondet Stanisl. Hosius, in confess. fidei cathol. cap. XXXIX. *Sciens præstat, an facere voluntatem Domini?* In concione discimus viam cæli; in missa vires accipimus, ut in ea ambulemus. Unum ergo oportet facere, et alterum non negligere. Quare S. Chrysostomus, de incompreh. Dei natur. in eos graviter invehitur, qui concione audita, non expectant missam.

Ergo, auditores, quando hæc talia a Christo sabbato facta esse scimus, superest ut ea tamquam monita nostra amplectamur. Satis enim hinc colligimus voluisse Christum Dominum, ut diem sabbati in curam animæ impendamus, prædictis quinque modis. Nec mirum; nam et ethnici aliqui prudentiores, naturæ ductu, dies festos sibi delegerunt pro animarum morbis persanandis. Sic enim de se Plutarchus scribit, I. de non irascendo: *Hinc accommodavi his animam meam, quasi non minus sit pium, ut festos dies primum ab ira tranquillos aliquot, quasi siccos et abstemios transigerem, tamquam ferias agerem sobrietatis et mellis libamina facerem.* Nonne hic et similes accusare poterunt Christianos aliquos in judicio? Porro nos, auditores, quidquid contra ogganniant mundus et dæmones, non sinamus nos impediri a bonis hisce operibus: quemadmodum et Christus non cessavit curare in sabbato ægros, licet nosset id displicere Judæis stultis et impiis. Quinimo in ædium illorum magis magisque studeamus vacare piis illis actionibus, quemadmodum et Christus Judæis se opposuit, eorumque cæcitatem, destinata opera, confutavit frequentibus miraculis sabbatum condecorando. Videte vosmetipsos variis ægritudinibus obnoxios, et vel in sabbato vos curate: *Miserere animæ tuæ, placens Deo*, ait Ecclesiasticus, cap. XXX. Noli curare quod discipuleas mundo et diabolo, modo placeas Deo. Quare si

per hebdomadem aridam habuisti manum, extendē eam in sabbato. Si prius inclinatus ad terram fuisti, jam erige te ad cælum: si prius hydropicus et in puteo vitiorum mersus, elucrare in die sabbati: si prius cæcus, curre ad natatoriam Silœ, ut lumen recipias: si prius debilis, curre ad piscinam. Vidit Christus in hod. evangelio hydropicum coram se, ventre distento tumidum, toto corpore lividum, miserum et miserabilem; unde misertus ipsius, curavit eum. Te vero, quæso vide teipsum, non minus sed magis miserum, et miserere animæ tuæ; sic sperare poterimus nos de isto temporali sabbato transituros ad cœleste æternum.

CONCIO III.

EBRIETAS USQUEQUAQUE MALA AC STULTA.

I. Honesta non est. — II. Utilis non est. — III. Neque jucundum quid habet.

THEMA.

Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadat.
Luc. XIV.

Stupida fere animalia tantum, qualis bos et asinus, in puteos cadere solent; reliqua non facile, quæ solertia aliqua prædita sunt: quod sapienter indicat Dominus, dum in hodierno evangelio non nisi de asino et bove lapsis in puteum, format argumentum. Porro ebrietatem Sanctus Augustinus non uno in loco (sermone CCXXXI. de temp. et sermone XXXIII. ad fratres) optime appellat *puteum inferni*: facilis in eum lapsus, sed difficilis exitus. At vero quinam illi sunt, qui in hunc puteum cadunt? Boves fere et asini tantum, stulti inquam et stupidi, qualis fere rudis plebs, et qui carnis mancipia sunt. Hinc optime advertit Sanctus Ambrosius, libro de Elia, capite V. bonum illum Lothum, quando inebriatus fuit, mansisse in spelunca, ut habetur, Genesis XIX. versu XXX. *Convenit ebrietati, inquit, solitudinis locus, ferarum magis latibulis, quam humanis aptior domiciliis.* Ergo bestię et bruta sunt, non homines, qui in puteum ebrietatis incidunt. Quid enim ebrietate perniciosius? Quid molestius? Quid fœdus et inhonestius? Quomodo non bruta sunt, qui hoc tantum malum, omni ex parte cane pejus fugiendum, consectari non timent? Videre vultis? Audite.

I. Honesta nullo modo est. Quæ enim laus est insignem potatorem esse? Persuadent quidem id sibi aliqui; sed asini solum et boves: qui sapiunt

non credunt. Æn. Sylvium audiamus. Is lib. I. comment. scribit: « Leonardus Felsechius, nobilis eques, cum in Lipsiensem civitatem pervenisset, in qua Saxones artes ediscunt, perconctaretur queso-brinus suus, qui tum forte illic studii causa degebat, quidnam et quantum profecisset, homo, qui nosset eum et coadjutor ejus esset: Optime, inquit, se habet amicus tuus. Nam inter mille et quingentos, qui adsumus scholares, hic unus bibendi palmam obtinet. Neque ingrata sese homo nuntiasset putavit. Est enim mos apud Saxones dum conveniunt, hos primo loco ponere, qui plus adbiberint, eumque ludum ad æquales haustus computationem vocant. » Sed quis prudens hoc non probro potius quam laudi ducit? Quid enim non turpitudinis affert homini ebrietas? Audiatur hac de re Divus Chrysostomus, aliter longe sentiens quam Iurones illi: *Quid ebrius turpius?* ait aureum illud os, homilia XXVII. in Acta. *Ridiculus est famulis, ridiculus est hostibus, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus. Bestia est magis quam homo.* Idem sanctus pater, homilia XXIX. « Jacet ibi ridiculus omnibus et uxori, et pueris, et famulis. Amici enim suam ignominiam cogitantes, sese abscondunt et confunduntur: inimici autem oblectantur, et irrident, et execrantur, quasi hæc dicentes verba: Hunc cine oportebat vivere? Et hunc cine oportebat spirare aerem? O pecus! O porcum! » Sic ille. Neque hæc immerito: quæ enim gloria est, hominem exuere et bestiam induere? Quis etiam maximis promissis persuadeat honesto viro ut vel ad duas tresve horas bestię formam assumat, et instar belluæ insaniat coram aliis honestis hominibus? Quanta ignominia fuit, qua plexus est superbus rex Nabuchodonosor, dum per annos septem in silvis oberrare, mugire et fœnum comedere bovis instar coactus est! Et hoc, quod ipsi immanis pœna fuit, homo ingenuus ultro assumat? Nuper in Mexico, Indiæ occidentalis metropoli, Indus quidam vino deditus, pœnitentiæ beneficio a vinolentia ad sobrietatem revocatus est, postquam candidum adolescentem per quietem vidit, qui eum, apprehensa manu, ad computationum cœtum duxit: ubi animadvertit potantium vultus primo quoque poculo immutari, et paulatim magis ac magis, quo plus illi haurirent, deformes tandemque plane similes dæmonibus fieri. Quo aspectu terribus, et a temulentia adeo absterribus est, ut exinde in abstinentiæ amorem et servantiæ mire incaluerit. Refert noster Bisciola, tomo II. hor. subseciv. libro X. capite XIII. ex annuis, anni 1585. Idem prorsus cerneret in aliis potatoribus, qui illuminatos haberet oculos. Quamquam quid

opus? Eant ebrii vel ad speculum, seque intueantur: nonne totos sese alios ac pene in belluas commutatos videbunt? Hinc fertur Plato suos discipulos admonere solitus, ut se forte ebrios in speculo contuerentur, fore enim ex visa sui imagine, ut tam deforme vitium caveant, libro VII. capite I. Eodem fine Lacedæmones proponebant filiis suis temulentos servos, ut, eorum fœdo spectaculo correcti, a vinolentia abhorrent, Plut. de inst. Lacon. Clemens Alexandrinus, libro III. pædag. capite VIII.

II. Utilis non est, quod facile ostendo. Vel enim animæ, vel corpori, vel externis bonis prodest. Non sane animæ, quam perdit, teste apostolo I. Cor. VI. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ecce quantis sceleribus consociat ebrietatem? Quod expendens Augustinus, sermone CCXXXIX. ait: « Quicumque ebriosus pœnitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profecto peribit; quia non mentitur Spiritus sanctus per apostolum dicens: Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. » Et paulo post, ebrietatem vocat *inferni puteum*, in quem sensim se demittit, qui pocula poculis addit usque ad ebrietatem. Quodque magis miserandum et in hoc peccato speciale est, tales si in ebrietate moriantur, nequeunt salutem suam consulere, quod tamen alioquin in momento fieri posset per actum contritionis. Parum ergo aut nihil sperandum de talium salute. Unde in cap. *Audivimus*, de relig. et vener. sanctorum dicitur: *Vix pro talibus in ebrietatibus pereuntibus Ecclesia permittit orare.* Æn. Silvius, comment. in Panorm. l. I. scribit: « Alexander, qui ex duobus Maroniæ erat, egregius bibulus, cum mortem obiisset apud Viennam, diemque illi tricesimam in templo D. Stephani canonici celebrarent, sacerdos, qui sitibundus cellam vinariam præposituræ intraverat, vidisse se inter dolia deambulantem asseruit, et ad ecclesiam reversus, cum orantes adhuc compresbyteros invenisset: Quid hic Alexandro in ferias, inquit, agitis? Ille in suo templo lætus agit bibitque, vos hic siti arescitis. » Non inane hoc ostensum fuit, nihil illi profuisse preces Ecclesiæ, qui in ferias suas in cella potius vinaria, quam in ecclesia celebravit, velut sitim infernalem extinguere ibi quærens.

Secundo, corpori quam obsit, manifestius est quam ut probatione indigeat. Unde enim plerique morbi, et contra eos sustinenda remedia, nisi ex intemperantia vini? Quæ si alicui, non dico inferrem, sed imprecarer tantum, nonne me is pro capitali suo hoste haberet? Vere enim

Anaxarchus philosophus aiebat: *Si quis divites imprecaretur manus et pedes inutiles, eum ægre illaturum: cum tamen id malum sibi met accersant divites, se beatos putant.* Stob. ser. XXVIII. Si cui podagram et chiragram, hecticam et calculum, vertiginem et tremorem aut paralysin membrorum imprecarer, quam gratiam mihi ageret? At vero has miseras et alias longe plures sibi ipsis parant bibuli. « Quoties, inquit S. Aug. s. CCXXXI. de temp. nimium potum accipiunt, tamquam in paralysis resoluti: dum suis pedibus ambulare non possunt, fœdissima latera aliorum manibus portantur ad lectum. »

Tertio, fortunæ bona absumit et ad pauperiem redigit: pretiosum insuper tempus, quo quam plurima alia lucra corporalia et spiritualia cumulari possent, pessime consumit, quod damnum majus illo est. Unde canit quidam: *Damna fleo rerum; sed plus fleo damna dierum. Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.* Cum Hugutio Fagiolanus præstans alioqui dux, voracissimus tamen et bibacissimus, splendidum convivium ageret, admonitus Pisanos et Lucenses ad arma capessenda excitati et rebellionem cogitare, cum ocuis exurgens eam sedare potuisset, hæsit tamen in convivio. Itaque urbem utramque uno amisit. Unde in eum lusit Petrus Navus, quod jam senex, nec jam dentibus instructus, duas urbes uno prandio absumpserit. Refert Fr. Petarcha et alii. Bene ergo Sapiens, Prov. XII. § XI. dixit: *Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.* Sic Balthasar sua computatione, dum sedet in convivio, nihil sollicitus de hoste urbem obsidente, Babylonem simul et vitam perdidit, Dan. V.

III. Sed forsitan jucunda est. Quid? Nihil ea molestius, nihil turbulentius. Primo, quia superfluous potus non jam sapit amplius, sed nauseam parit potius et fastidium, neque illum saporem habet, quem in siti habuit. Hinc Anacharsis Scythæ dixit vitem gignere tres botros: *Primum sanitatis, alterum voluptatis, tertium morosis*: vel, ut alii referunt: *Primum voluptatis, secundum ebrietatis, tertium molestiæ*; sentiens vini potum, quo longior et productior est, fieri deteriorem. Solemus nos Germani dicere proverbio de illis, qui inviti et nauseantes compelluntur edere, coactam comestionem esse tormentum. Quidni etiam coacta potatio tormenti instar est? Hinc optime S. Chrysostomus, in epist. Ad Rom. hom. IX. ait: *Qui vino se obruant quæstionem tolerantibus miserabiliores sunt.* Ut enim illi, qui torture subjiciuntur, coguntur edicere quæ nolunt: ita ebriosi cogunt seipsos, vel etiam cogi se patiuntur ad bibendum quod nauseant.

Secundo, quia crapula primo quidem, sen-